



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. I. Quid sit acedia, & quale peccatu[m]?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

Valentia.

§. 1. & Valentia hic disp. 3. q. 11. puncto 2. in fine docet, odium proximi, non solum ob defectum liberationis; sed etiam ob suam imperfectionem, & quia tam leue malum proximo optat, posse solum esse peccatum veniale; sed eiusmodi affectus non videtur propriè esse odiu, sed appetitus vindictæ aut quedam inuidia.

Odiu abominatio-
nis sæpè solum
est peccatum
veniale.

Facilius contingit odium abominatio-
nis erga proximum esse solum veniale peccatum; ut si quis alterum sine iusta ratione ob morum discrepantiam, aut quia ab eo aliquid passus est, leuiter auersetur, eiusque consuetudinem fugiat, ita tamen ut nullum malum ipsi optet. sic sæpè ij qui graniter ab alijs læsi sunt, post remissionem iniuriam sentiunt adhuc quamdam in animo auersionem, qua illorum conuersationem horrent, quam ob suam infirmitatem non possunt ita statim superare, ideoque illos fugiunt, qui ideo non sunt condemnandi peccati mortalis, modò nullum malum ijs optent, & sint parati eis in omni necessitate succurrere, prout caritas postulat, nec exterius vlla signa inimi-

citæ ostendant, v. c. nolendo occurrentes secundum morem patriæ salutare, aut loquentibus respondere, &c.

Sequitur Tertiò, odium Dei distingui specie ab odio proximi, præsertim in genere malitiæ & moris: est enim illud planè alterius ordinis & sine comparatione grauius, quam hoc. Item vnum odium proximi saltem hac ratione distingui specie ab alio proximi odio. Primò, ob diuersam rationem formalem vtriusque, ut si vnus oderit proximum, quia creatura aut imago Dei est, alter verò ob iniuriam ab eo acceptam. Secundò, ratione diuersi mali quod proximo actu optatur, ut si vnus optet ei eternam damnationem, alter mortem, præsertim valde crudelem, alter solum amissionem status, &c. sicut enim hæc velle inferre proximo continet diuersa specie peccata, ita etiam ea proximo optare. Quare omnino sunt explicanda in confessione, quia sic optimè natura ipsius odij explicatur, & ad hanc explicandam id videtur esse omnino necessarium.

Gr
Qua ratione
odia distin-
guantur in-
ter se.

Qua ratione
odium in
confessione
explicandū.

DISPUTATIO XXX.

De aedia, inuidia, discordia, contentione, schismate.

D V B I V M I.

Quid sit aedia, & quale peccatum?

1



Ora, hoc vitium à varijs variè nominari. quidam enim vocant *accediam*, alij *acidiam*, deducuntque ab *acido*, eo quòd suum subiectum reddat frigidu & torpidu.

D. Thomas.
Nauarr.
Siluest.

Ira S. Thomas 2. 2. q. 35. a. 1. & ex eo Nauarr. c. 23. n. 124. Siluest. v. *Acidia*. & alij. Melius alij *accediam* vocant, deducuntque à Græco *ακνδς*, quod curam & sollicitudinem significat; hinc *ακνδς* siue *accedia* significat incuriam, negligentiam & quandam tristitiam auerterent nos à labore, ac torporem inducentem. Quare *accedia* generatim accepta potest significare omnem eiusmodi tristitiam inducentem torporem circa res agendas. hic tamen specialius sumitur pro tristitia circa bonum spirituale.

2

Dupliciter
possumus
tristari de
bono spiri-
tuali.

D. autem Thomas sup. a. 2. docet, nos dupliciter posse tristari de bono spirituali; Primò, generatim sumpto, quatenus est molestum ac laboriosum: atq; tristitiam sic sumptam, non esse speciale peccatum, sed posse ad varia vitia pertinere, prout bonum de quo quis tristatur, ad diuersas virtutes pertinet. Secundò, de bono spirituali diuino, & sic sumptam *accediam* docet esse speciale vitium contrarium caritati, quæ incitat nos ad gaudendum de eiusmodi bono.

Caietan.
Bañez.
Nauarr.
Triplex tri-
stitia de bo-
no diuino.

Caietanus autem in dictum art. & ex eo Bañez ac Nauarrus c. 23. n. 124. notant nos tripliciter posse tristari de bono diuino. Primò, quatenus hoc bonum est in Deo; & aiunt hoc pertinere ad odium Dei. Secundò, quatenus hoc est in proximo; & dicunt hoc pertinere ad inuidiam aut odium proximi. Tertiò, quatenus illud est

in tristante & tunc aiunt esse propriè *accediam*. unde Caiet. hanc ita definit: *Acedia est tristitia de bono diuino in eo qui contristatur*; Nauarrus verò docet esse vitium inclinans ad tristandum de bono spirituali diuino, quatenus est diuinu in eo qui tristatur.

Sed hæc patitur difficultatē. Quia vel illud quatenus est bonum diuinu, significat rationē formalem cur quis tristetur de bono diuino, ita ut ideo de eo tristetur, quia est bonu diuinu; & hoc non potest provenire nisi ex odio Dei; nam sicut nequeo tristari de bono Ioannis præcisè quatali, siue quia est Ioanni bonu, nisi ex odio Iohannis; ita nequeo tristari de bono Dei præcisè quatali, siue quia est bonu Dei, nisi ex odio Dei. Vel illud quatenus est bonum Dei, significat aliquē tristari de bono Dei præcisè secundum se consideraro, & prout abstrahit ab omni molestia, labore aliòve incommodo extrinsecus sibi coniuncto. Et hoc fieri nullo modo potest: nā sicut Deus secundum suā intrinsecā præcisè spectatus nemini potest displicere, ut docet D. Th. 2. 2. q. 34. a. 1. ita bonum Dei secundum se præcisè consideratum & abstrahēdo ab eo, quòd eius conseruatio sit aliqua ratione molesta, nemini displicere potest; qui nihil continet in se, quòd habeat vel apparentem rationem mali. Cui enim potest displicere quòd sit in gratia, quòd sit filius Dei, futurus ipsius heres? Hæc autem sunt maxima bona diuina quæ in nobis sunt, nec possunt nobis magis displicere quam ipsa beatitudo. Idemq; est de quouis alio bono Dei nobis communicato, siue actuali siue habituali, quòd nullam in se vel apparentem potest habere rationē mali, nisi quatenus apprehenditur cum aliqua molestia coniuncta; ut quòd sit laboriosum nobis, aut contrarium rei à nobis amate.

3

D. Thom.

Coninck de act. supernat.

FFF

Pro

4
Bona diuina
in nobis sunt
duplicita.

Pro resolutione Nota Primò, bona spiritualia diuina in nobis esse duplicia. quædam enim non sunt secundum se necessaria ad salutem, nec in nobis est vlla per se & independenter à nostra voluntate obligatio ea suscipiendi: qualia sunt status Religionis, sacerdotij, &c. Alia verò sunt absolute necessaria, ita vt obligemur ea nobis velle, & in nobis conseruare, qualis est status Christiani hominis, & filij Dei adoptiui, & consequenter ea omnia, quæ hic includit, vt sunt gratia iustificas ac habitus aliarum virtutum, amicitia inter Deum & hominem, &c. Quamuis autem dicta bona præcisè secundum se spectata, nihil contineant cur possint alicui displicere, quatenus tamen constituunt hominem in necessitate obseruandi omnia mandata, ita vt necessarij sit nos aut horum omnium obseruatione dicta bona in nobis conseruare, aut æternis supplicijs addici; dictus status habet aliquid sibi annexum quod laboriosum ac molestum est; atque ita ratione huius potest apprehendi vt malus, ac nobis displicere.

5 Nota Secundò, etsi Deus ac eiusmodi bona spiritualia non possint nobis displicere, nisi quatenus habent annexam eiusmodi necessitatē subeundi aliqua nobis molesta, aut cupiditatibus nostris repugnantia; tamen odium huius molestiæ ac necessitatis sæpè aliquos excitare, vt illa bona quibus apprehendunt hæc connexa, secundum se oderint, iuxta dicta disp. 29. n. 10. & 26.

Quando igitur D. Thomas supra docet, acediam prout est speciale vitium, non refugere bonum spirituale prout est laboriosum, sed bonum spirituale diuinum, solum intendit docere, eam refugere non solum ipsum laborem, qui reperitur in conseruatione illius boni, sed etiam ipsum bonum diuinum, ita vt hoc, quamuis propter illum laborem coniunctum, tamen verè secundum se homini displiceat.

6
Quid sit acedia.

Respondeo igitur acediam, prout est vitium speciale oppositum caritati, consistere in quadam tristitia ac displicentia, qua ob lædium laboris ac difficultatum, quas quis experitur in conseruanda Dei amicitia, eum huius tædet, doletque se ita à Deo esse creatum, vt necessariò debeat aut per fugam vitiorum & mandatorum obseruationem esse æternum beatus, aut si illa recuset æternum damnari; adeoq; vellet ea esse conditione, vt neque cælum neque infernum bene aut malè viuendo mereri posset. Hæc videtur aperta sententia D. Thomæ supra art. 2. in corpore, vbi docet, tunc esse acediam contrariam caritati, quando quis tristatur de bono diuino, de quo gaudet caritas; id est de quo necessariò & ex obligatione gaudet, vt patet ex art. 3. ad 2. Eandem tenet Valerius Reginald. in praxi conscientie l. 17. n. 107. Potest itaque acedia vt est speciale vitium, hoc modo defini: *Acedia est tristitia de bono spirituali diuino, quod ex fine creationis nostra tenemur in nobis conseruare.* qualia bona sunt amicitia Dei, & status filij adoptiui; in huc enim finem creati sumus, vt inuis amici ac filij Dei.

Reginald.

7
Acedia est
graue peccatum.

Hinc patet Primò, acediam vt est vitium speciale, ex genere suo atque adeo semper esse peccatum mortale, & quidem valde graue, nisi per

inadvertentiam excusetur. quia continet apertum contemptum amicitie diuinæ, ac status filij æternæq; beatitudinis, dum quis æstimat hæc indigna, quæ tantillis laboribus comparentur, adeoq; dolet se ad hoc metu suppliciorum cogi. quod fit cum graui Dei iniuria, qui hac ratione etiam grauitur contemnitur; sicut grauissimè contemneret maiestatem regiam, qui doleteret se à rege in amicum & familiarem assumi, eò quod hac ratione impediretur à scurrarum consuetudine, qua ipse delectaretur.

Patet Secundò, quando quis dolet de bono aliarum virtutum, siue præceptorum iuris naturæ aut positui, eò quod cum aliquo labore & fuga voluptatum teneatur bonum virtutis in se conseruare, & præcepta obseruare, esse vitium acedie generale, & diuersis virtutibus repugnare ratione materiæ de qua quis particulatim dolet: & tunc esse peccatum mortale, quando quis ob eam deliberatè statuit violare aliquod præceptum grauitur obligans, aut dolet se esse creatum, aut optat esse animal irrationale, vt liber à præceptis possit sine timore suis cupiditatibus ac otio indulgere.

Patet Tertiò, quando aliquis tristatur se esse factum sacerdotem aut Religiosum, eò quod expectatur magnas molestias in seruandis ijs, ad quæ ex suo statu obligatur, esse solum generale acedie vitium. imò non esse peccatum mortale, quamdiu abest morale periculum ne talis moueatur ad violandum aliquod præceptum grauitur eum obligans: nam sicut prius non tenebatur velle eum statum suscipere, sed poterat id nolle; ita iam saltem sub graui peccato non obligatur gaudere se eum suscepisse, aut de eo non dolere. Hoc tamen semper continet aliquam inordinationem affectus, quo cum aliqua illius status iniuria aut quies ab illa molestia, aut alia bona terrena ei præponuntur: estque valde periculofum, quia cum tales incipit sui status penitere valde repidè eum colunt, & exponunt summis periculis eum deserendi.

Patet Quartò, acediam esse vitium capitale ex quo varia alia nata sunt gigni: nam cum aliquis nullam iucunditatem, sed magnam tristitiam experitur in prosecutione boni spiritualis, eamque voluntariè fouet, statim inclinatur ad desperandam perseuerantiam in mandatorum obseruatione, & vt tradat se vitijs, in quibus voluptatem & animi quietem sperat. Vide S. Thomam supra art. 4.

D V B I V M II.

Quid sit inuidia, & quale peccatum:

Nota Primò, inuidiam ex mente D. Thomæ 2. 2. q. 36. a. 1. hoc modo à Doctores definiti: *Inuidia est tristitia de bono alterius in quantum æstimatur diminutiuum propriæ gloriæ.* Quam definitionem impugnant Martinus de Magistris apud Caiet. in dictum art. & Lorca ibid. Primò, quia Magistris repugnat definitioni quam tradit Aristoteles l. 1. Canticum. 2. Rhetorice cap. 10. vbi ait, *Inuidia est dolor quidam, quoniam similes boni aliquid adepti videntur non vt quidquam sibi, sed propter illos.* Quibus verbis